

Vera et vnde

JOH. CONRADI PEYERI p. 49  
Med. Doct. & Acad. Nat. Cur. Collegae  
cognomento Pythagoræ

M E R Y C O -  
L O G I A  
*sive de*  
R V M I N A N T I B V S  
*et*  
R V M I N A T I O N E  
C O M M E N T A R I V S.

Quo primum exponuntur

*R V M I N A N T I V M S P E C I E S E T D I F F E -*  
*r e n t i a , p e r o m n i a a n i m a l i u m g e n e r a ; d e i n d e o r g a n o r u m*  
*s u m i n a t i o n i i n s e r v i e n t i u m a d m i r a n d a s t r u c t u r a d e r e g u n t , & i c o n i b u s*  
*a r i i n c i f i s a r e o c u l o s p o n i t u r : d e n i q u e d e r u m i n a t i o n e i p s a*  
*e j u s q u e c a n s i s a c m i l i a r e d i s s e r i t u r .*



B A S I L E A E

Apud JOH. LUDOVICVM KOENIG  
& JOH. BRANDMYLLERVM,  
M DC LXXXV.

riam de animalibus, è quibus Gerardus Blasius hausit in nupera animalium anatome: existat etiam gazelæ viscerum descriptio brevis in Johannis de Muralto clavi medicinæ exercitat. III p.m. 107 ex eodem subiecto desumpta quod Parisienses primum collustraverunt, ut ex eruditissima dilecti sodalis mei Lucæ Schroeckii historia moschi c. IX patet. Dantur tamē ejusmodi caprarum plures species, quas nunis solicite nolo persequi, cum fere peculiaribus destituantur nominibus, & dubium sit nullum quin ruminent.

Nihilominus ex India adhuc adducam celebres medicamenti nobilitate capras badzaharticas, quales in arce Batavia se vidisse Jacobus Bontius Hist. Nat. & Medic. Ind. Or. lib. IV animadversionibus in Garciam ab Orta scribit, *capris Europaeis non credo ab somnibus, nisi quod habeant erecta & longiora cornua, & quadrangularia versicolora sine pelle, ut rigides pulcro aspectu.* Prestans alexipharmacū lapides seu pilæ, vulgo bezoar nominatae, in earum ventribus motu & pilorum herbarumque implicatione prope modum ut in rupicapris nostratis concrecentes, luculento ruminacionem argumento confirmant. Moschi demum rarissimum animal quoniam locabo, illud tam suavis ac pretiosi odoramenti promtuarium, & magnatum, regum, principumque delicium? Nutat judicium, cum an ruminet ignorem, tametsi bisulcum est, & capreolum extrinsecus quadanterus assimilare fertur, à qua similitudine illi quoque apud autores capreæ, dorcadis, capreoli & gazellæ nomina. Aldrovandus capris accessuit, sed mea sententia eo referri vix potest, quoniam barba & cornibus caret; quorum absentia simul quoque impedit ne inter capreolos, quibus plerisque associatur, locum facile inveniat, donec accedit interaneorum affinitas, quam nondum à quoquam literis esse mandatam legi: exertos namque dentes capreolorum, dorcadum, cervorumque genus aliâs nullum ostendit, & curiosus moschi vindex ac assertor Schroeckius in animale ipso cruribus & pilis capreolum repræsentante lupinum vultum agnoscit, effigies autem collum fere camelinum exhibet. Quapropter ancipiti generi id annumerabo rântisper, dum meliora docear.

F

Quæ

Quæ licet à me hunc in modum explicitentur, sarta tamen atque recta esse cupio quæcunque præcellens Celsus, vir mihi amicissimus, atque iis studiis in quibus ego à pueritia vixi deditus, de hoc argumento cum sua tum aliorum experientia disseruit. De cætero cum animalium moschum fundentium plures obseruentur species, eam tantum hic intelligi constat quæ maxima est & capreolus dicitur. Quod enim animal illustris Præses & Argonauta noster admodum venerandus Joh. Michaël Fehrius cum Schrœckio communicavit, ex celeberrimæ Academiæ Naturæ Curiosorum fundatoris Joh. Laurentii Bauschii summa laude æternaque memoria dignissimi observationibus & archetypo delineatum, manifesto cornuum testimonio ad strepsicerotas, veterumque damas aut pygargos, quos transmarini situs teste Plinio H N. lib. VIII cap. LIII mittunt, omnino pertinere mihi videtur potius quam ad capreolos; nam cornua nihil cervini obtinent. Talis est etiam Suhak, seu ut Aldrovandus legendum existimat Shnak Scytharum, quem inclutus Joachimus Camerarius Centuria II emblem. XLIV sic depinxit: *In Scythie latissimis campis animal quoddam reperitur, paucis (ut opinor) adhuc cognitum, Suhak ab incolis dictum, silvestra capra simile, quod, ut à fide dignis viris accepimus (qui etiam veram ejus iconem nobis communica- runt) quotannis ad fines Podolie usque adventare solet, mira perniciatis, nec minoris ferocitatis, cornibus præditum striatis, albicanibus, pellucidis, acutis & validis (qualia apud meum quendam amicum hic quoque ostenduntur). Hoc se quasi ductorem præbet capreolorum gregibus, ipsis- que præire solet, acerrimo visu simul & auditu præditum; quare longe lateque circumspiciens & omnia observans facile hominum persequen- tium infidias è longinquò deprehendit, & comitibus fibilo acuto signum dat fugæ, ut in loca tutiora se recipiant. Moschi feram dentibus cor- nuum instar exsertis ac prominentibus quodammodo emulatur Indiae Orientalis monstrum baby-roulla, cuius caput Parisiis apud charissimum hospitem G. Josephum Du-Vernium aliquan- do spectavi, illi simile quod à Th. Bartholino cent. II hist. XCVI, Guilh. Pisone in Jacobi Bontii hist. nat. Ind. Or. lib. V cap. IX & Gasp. Schotto Phys. curiosæ lib. VIII cap. XIV exprimitur, ac in insula*

insula Bouro tantum reperiri scribitur, majoris canis vel cervi magnitudine, capite & rostro porcino, oculis ac auribus parvis, pedibus & unguis cervinis. An ruminet, quave alimonia victet, autores non monent: quare illud etiam ancipiti adjungam generi, licet magis proprie videatur mixtum Indis ex porco & cervo derivantibus, donec monitus sequar meliora.

Anceps autem genus voco, non tam quod geminam natum è diversorum copulatione participat, aut utrumque sexum, ut hermaphroditi; quam cujus vel ambigua est ruminatio, vel externa forma à bobus, cervis, ovibus & capris ita distincta, ut ad certam horum speciem facile reduci nequeat. Istiusmodi putantur insuper è maximis rhinocerotes, corporis vastitie & cornu formidabiles, quo inimicas feriunt proscinduntque bestias, in altum sublatas, ceu graphice Martialis lib. I epigr. IX canit:

*Prostria exhibitus tota tibi Cesar arena,  
Quæ non promisi prælia rhinoceros.  
O quam terribileis exarsit pronus in iras,  
Quamus eras cornu, cui pila taurus eras.*

### Ex epigrammate XXII;

*Sollicitam pavidum rhinocerora magistri,  
Seque diu magna colligit ira fera:  
Defferabantur promissi prælia Martis:  
Sed iamnis redissi cognitus ante furor.  
Namque gravem gemino cornu sic exultis ursum,  
Facta ut impositas taurus in astra pilas.*



Ex ultimo disticho quidam arguunt rhinoceroti esse cornu geminum, quos animat etiam Pausaniae & Scaligeri autoritas, duplex illi cornu largientium. Sed plerique testes oculati unius tantum super nasum existantis meminere, inter quos præcipue *Aelianus H. A. lib. XVII cap. XLIV*, rhinocerotis figuram Græcis atque Romanis tam bene cognitam esse perhibet, ut frigidum & supervacaneum ducat illam describere: *Ρινοκέρων οὐ δύο  
ζεάφη τις εὐλόγη ἐστι. ιον γδὲ καὶ λατεῖων πόλεοι οἱ ρυμαῖοι ποθεαμένοι.* Bonitus autem belluæ hujus ferociam & immane robur singu-

Iari exemplo illustrans H.N. Ind.Or.lib.V cap.I unicum cornu appingit, testatus rhinocerotem sibi vel millies fuisse conspectum, sive caveis inclusum, sive paucem in silvis. Nec sane dissentit Martialis, in epigrammate singularem numerum vix adhibiturus, si cornua plura vidisset. Quapropter ut poëta sibi constet, emendationibus doctissimorum virorum Jani Douzae, Petri Scriverii & Gerardi Johannis Vossii, in locum ursi urum substituentium, ad quem cornu possit geminum referri, facilius subscribo, quam tortae Bocharti interpretationi, qui fortasse inquit hieroz. part. I lib. III cap. XXVI poëta non scripsit gravem gemino cornu, sed diversis casibus

gravi geminum cornu sic extulit ursum.

Geminum ursum, id est, duos ursos; non simul, sed successice oblatos, vel simul oblatos extulit successice: nisi malis Geticum ursum, id est, Scythicum; quia versus Aquilonem ursi majores, essetque id Graecatwde sepor, si majorem ursum cornu sustulisse dicitur rhinoceros. Sed geminum probabo magis, quia sequente versu,

Factat ut impositas taurus in astra pilas,  
poëta plures pilas videtur opponere pluribus ursis, &c. Ecquis amabo credat in uno Martialis haut obscuri versiculo describendo tantopere peccasse librariorum incuriam, ut tanta esset tamque exquisita medicina opus?

Apparet hinc meridiana luce clarius quam frustra se quandoque torqueant & sudent critici nimis critici, dum inutili macerantur cura, magnoque temporis dispendio saepe de lana caprina rixantes qualitate prolixitatis tedium magis absterrent lectors, quam doctrinæ præstantia & simplicitate alliciunt. Quidni acquievit Bochartus in eorum sententia, qui pro urso urum legunt, tanto meliore quanto simpliciore? Dicit primum *urus non potest vocari gravis propter cornua*. Quid enim cornuum gravitas ad ipsum ursi corpus, quod pendere necesse est pluram illia pondo, si vere scripti Cesar uros esse magnitudine paulo infra elephantos, & Servius in librum secundum georgicorum, exceptis elephantis majores esse ceteris animalibus? Itaque quiaquid ponderis his accedit ex gravitate cornuum, nullum momentum habet. In scirpo nodus queritur: quid

quid enim incongrui loquitur qui ibicem , taurum, cervumque cornibus gravem pronunciat ? Urorum cornua levia non sunt, sed ingentia, vasta & ponderosa, augentque omnino pondere suo reliqui corporis molem. Cur ergo urus non diceretur apposite gemino cornu gravis , perinde ut alia cornuta animalia, etiamsi cornua stricte præcipua gravitatis causa non sint, sed tantummodo additamentum ? Præterea quemadmodum graves dicimus viros, non tantum qui magnitudine corporis præponderant, sed imprimis etiam faciei lineamentis insignes, & virtutum morumque probitate speciosos ; ita urus gemino potest cornu gravis intelligi, hoc est spectabilis : nam taurino vultui generositatem cornua maxime conciliant. Vel gravem urum eo accipiamus sensu, quo Bochartus grave cornu ipse est interpretatus, nimirum atrocem, dirum, molestum, infestum cornu gemino.

Deinde difficultatem aliam fingit autor in re facili, dum ait ; *Poëta sic scripsit rem prorsus impossibilem, nempe animal elephanto pene par, facile sublatum fuisse à rhinocerote, cui Sirabo, qui viderat, tribuit solum tauri magnitudinem. Artemidorus quidem rhinocerotem aut vix inferiorem esse elefantis. Sed ne sic quidem facile sustulerit urum. Itaque rhinoceroti non urus, sed pila taurus erat. Rhinocerotis certamen Martialis carmine concelebrans victoriam ejus tanquam præclarum facinus remque inopinatam laudibus extollit. At qui gloria singularis nulla foret, bestiam è medio tulisse minorem, nec magnitudine & feritate parem. Taurus ergo quocum prælia siebant, minime vulgaris erat, sed oppido ferus, qualis est urus. Solent enim poëtæ non elegantiæ solum gratia, ut oratores, sed etiam metri causa per synecdochēn genus pro specie ponere, aut vicissim pro genere speciem. Taurus autem est genus, urus species, quem rhinoceroti oppositum fuisse maxime credibile , quod injurias cornibus similiter propulset. Jam quod ad æqualitatem attinet, si taurus multo minor fuit rhinocerote, anne ab hoc victum illum & exagitatum mirabere ? Major vero rhinocerote taurus vix reperitur. Ne igitur paritas deesset, spectaculo adhibitum credo urum, taurorum*

maximum ac elephante parum inferiorem, quam quantitatem rhinoceroti oculatus testis Jac. Bontius quoque tribuit his verbis : *Magnitudine rhinoceros & corporis mole facile elephantem aequat, sed pedibus brevioribus non tam conspicuum animal ostendunt.* Quæcum ita sint, Strabonem existimo altitudinem duntaxat significare voluisse, dum rhinocerotem tauro æquat, neutiquam robur & molem corporis, qua præcellit. Bochartum denique ante occupatum rem possibilem frustra habuisse liquet pro impossibili ; rhinocerotem quippe lacessum tanta grassari crudelitate ferunt, ac non in ea modo ferri quibus offenditur, sed in obvia quæque, adeo ut totas arbores ingenti fragore prosternat. Fieri ergo potuit, ut rhinoceros per uri crura impetuose penetrans eum ventre correptum præter spectantium opinionem in sublime ageret, perinde atque è luctatoribus æqualibus aliis alium exagitat.

Subiungit Bochartus , postquam de rhinocerote aliud Martialis distichon lib.XIV epigr.LIII excerptissit tale

*Nuper in Ausonia domini spectatus arena*

*Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat:*

*Hac igitur rhinoceroris fuit ultima virtus. Alioqui frigida esset laus, si urum etiam sustulisset, qui tauru multo major est. Sed an poëtae non licuit uro tauri nomen cognatum indere? Aut quomodo existimatio frigescat eorum, qui superato forti hoste uno alium vincunt validiorem, & mox iterum alios, ut minores?*

Verum ut unde paululum digressus sum in viam redeat oratio , rhinocerotem plerique scriptorum inter ruminantia quidem cornuta annotant, quoniam tamen viscerum structura adhuc latet, feraque porci aut apri instar se in oeno volutare à Bontio memoratur, ruminationem malo dubiam relinquere, quam incerto judicio hallucinari. Spinis autem ac vepribus vesci dicitur, & linguam habere asperrimam , qua lingendo homines enecet , cutemque cum carne ossibus detrahant, etiam si carnivorum haut est: similiter & urorum lingua tantæ perhibetur asperitudinis , ut lambendo arreptum hominem pertrahat. Nec certiora novimus de oryge, aut unicornibus bisulcis, ab eruditissi-

ditissimo Bocharto hieroz. part. I lib. III cap. XXVII ex Huetii communicatione nitidissime delineatis, aliisque id genus an- cipitibus, quibus recensendis non immorabor.

E ruminantibus tandem genera mixta nuncupo, quæ ex diversæ speciei animalium conjunctione sunt orta. In cujus eventus rationes atque processum, admiratione & scitu dignissimum, operæ pretium est altius inquirere, ut non horum modo sed cæterorum quoque origo patefcat. Si quid enim est in renum natura curiosi, curiosius nihil dici potest generatione hominis & animalium, quæ sollicitos atque defixos tenuit omnium seculorum philosophos, & adhuc exercet ætatis nostræ sa- pientes. Duobus autem præcipue stimulis ad rei vel Salomo- nis testimonio maxime absconditæ pervestigationem agitan- tur mortalium mentes: unus est argumenti sublimitas opifici- que stupendum miraculum, quod indagandum promte susci- piunt ingeniorum fortissima, ut detectis iis quæ abscondita la- tuerant sapientiæ gloriam reportent; siquidem inglorium non sit naturæ opera scrutari, quo de iis scite differere aliosque eru- dire queamus. Hunc ad finem inter priscos aspiravit Aristotelis sagacitas, quem intentis nervis operæ plurimum enavasse con- stat historiæ de generatione animalium; & è recentioribus im- mane quantum præstitit Harvæus, ut aliquando unde & quo modo animantes propagarentur cognosceret. Aliud calcar ad vestigandam generationis originem sua cuique natura aut vo- luptas addit, cum nihil æque consentaneum sit hominibus ra- tione præditis, ac quid sint & unde existant inquirendo addi- scere.

In primæva mundi creatione ordinavit Deus, ut singulæ animalium species multiplicando propagarentur: quem in fi- nem insita sunt fæmellis ova, tanquam media & organa usui isti convenientia. Hærent ea ovario, quod in majoribus animali- bus antehac vocabatur testiculus. Ovis autem æque ac planta- rum seminibus aut stirpium surculis & propaginibus gignendo- rum ideas contineri, aromorum specie apposite convolutas, di- vinitusque conditas, tam credibile est, & sacræ scripturæ, ra- tioni,

tioni, ac experientiæ adeo consentaneum, ut in dubium revocari vix possit. Gaudet enim Natura è minimis producere maxima, Deusque potentiaæ ac sapientiaæ suæ infinitatem plerunque ostendit in subtilissimis. Porro prudens inficiari nemo potest, quin animalium conformatio divini sit opus artificii. Insania est, animalibus vim proprios fingendi ac procreandi fœtus tribuere; furor id atomorum aut particularum qualiumcunque fortuito largiri concretui, quod hominum captum artemque omnem superat: denique impietas, creaturarum originem à Deo non repeteret, aliumque plasten, & nescio quam facultatem, aut genium, spiritumve formatorem suspicere ac venerari. Coge, ô homo, qui aliter sapere præsumis, ingenii vim omnem tui, & rationem consule quam curiosissime, an ea tantum valueris unquam, aut etiamnu[m] valeas, ut organicum corpus quale circumfers, capite trunco & artubus instructum, cerebro, corde, venis, arteriis ac nervis, musculis item, aliisque visceribus ac sensoriis donatum, & vultu ad coelum erecto præditum, denique motu & sensu animalium fabricandi scientiam aut facultatem vel obtineas tua sponte vel studio quantocunque assequaris. Scio responsuram vel invito tibi, tantarum rerum conscientia mihi non sum, quæ limitatae potestatis meæ vires longe superant, tantumque abest tam magna à me patrari, ut ne minimæ quidem particulæ corporis, cui Deus me juxxit, intimam configurationem penitus cognoscam. Quare ne delires, conformatiōnem corporis tui animaliumque præterea omnium ortum soli Deo adscribe, neque ex creatura creatorem effice. Talia regerit sciscitantibus conscientia, nec fas est spernere oraculum, cum veritatem nihil efficiacius confirmet conscientiæ testimonio.

Doctrinam autem de generatione animalium ex ovo gnavoriter demonstrarunt peritissimi viri Nicolaus Stenonis, Theodorus Kerckringius, Regnerus de Graaf, Johannes Svvammerdamius, Johannes van Horne, & complures alii, quibus ego calculum iterum iterumque adjecti, ratus gloriosum esse eorum castra sequi, qui experientiam sibi ducem præposuerunt. Veruntamen prejudiciorum tenebræ ac experimentorum neglectus

multos

multos impedit, ne perspicuitatem attingant, alios moratur etiam Harvæi autoritas, quo minus vero assentiantur. Atque his adhuc mederi studebo, si sint medicabiles, si medicinam respuunt, risu & contemtu quam correctione digniores censembo. De testiculis foeminiis Harvæus errorem, ut homines sumus, gravem erravit exercitat. LXV, dum scripsit : *Testiculi in cervis, & damis, ut & ovibus, capris, ac bisulcis omnibus visuntur quidem, sed sunt quasi parva glandulae, que prostatas potius aut mesenterit glandulis proportione respondent, quam femini eique prolifico concordando coitusque tempore profundendo institute sunt. Suntque egomet hujus sententie, tum ob alias rationes plurimas alibi allatas, tum maxime quod coitus tempore in cervis & damis caterisque viviparis omnibus uteri cornua immutentur, testiculi autem dicti nec turgeant, nec quicquam à solita constitutione (sive ante coitum, sive post ipsum) variant, neque ullo indicio utilitatem aliquam vel ad coitum vel ad generationem afferant.* Contrarium sane experientia nos docuit, foemellarum testiculos ad generationem animalium tantum contribuere utilitatis, ut plane fons sint & promtuarium foetuum omnium : nam partibus istis castratione ademptis, aut casu vel morbo destructis, animalia sterilescent, nec amplius concipiunt; quia simul abolentur ova, in quibus conceptuum ideae speciatim delitescent.

Profecto foeminarum testiculos à coitu affici ac immutari palam indicant pullulantia tubercula fibrosa & glandulosa, quibus ovum quolibet foecundum admirando naturæ ingenio liberatur atque secernitur. Vidimus hæc & palpavimus aliquoties cum in vaccis, ovibus, & capris, tum præcipue etiam in damis vulgaribus cervini generis, quarum copiam in indultu Regis Christianissimi Ludovici Magni Lutetiae habui, apud magnæ famæ & dexteritatis virum hospitemque mihi amicissimum Josephum Du-Vernium, anno hujus seculi septuagesimo octavo. Exigui quidem, fateor, sunt damarum testiculi, sed post coitum foecundum in alterutro eorum papilla sive tuberculum fibrosum semper succrescit, quo ovum seu conceptus ab ovario liberatur, ut per tubam postea descendat in uterus. Scrofis autem præ-